

sufficiens et Idoneus, qui statuto ad id tempore, mense nimirum Aprili ante festum Georgii, a sui pagi communitate pro uno Anno eligatur, et electus Generali ad ipsius notitiam significetur.

Articulus Secundus.

Quemadmodum Universa Valachorum Communitas in trium Capitaneorum Supremorum, nimirum Crisiensis, Caproncensis et Ivanicensis Districtibus commoratur, ita quoque in quolibet Capitaneatu separatim eligatur et constituatur Supremus Judex, Vir peritus Legumque patriarum gnarus, qui una cum Octo Assessoribus Judiciis in suo districtu praesideat, ac universas Causas et controversias secundum praesentia statuta cognoscat et decidat. Electio autem Judicis et Octo Assessorum in vel circa festum Sancti Georgii eo fiat modo; ut nimirum omnes Knesii sui districtus, una cum duobus vel tribus senioribus vel Juratis ex unoquoque pago, in certo eiusdem Capitaneatus loco conveniant, ibique Judicem et Octo Assessores per districtus sui Capitaneatus rite eligant. Qui Judices & Assessores ita in quolibet Capitaneatu electi, Generali proponantur, et ab eo nomine nostro, nullis legitimis obstantibus Causis, confirmantur, aut si quae legitimae Causae obstare viderentur, Illae statim nobis significabuntur. Singulis autem annis lidem Supremi Judices, tempore et modo, quibus dictum est, per Knesios et Seniores pagorum in quolibet Capitaneatu liberi a officio removebuntur, vel si ita visum fuerit, idque Patriae commodum et utilitas suaderet, in eodem officio relinquantur, et a Generali memorata ratione denuo confirmabuntur.

Articulus Tertius

In delictis publicae tranquillitati et utilitati contrariis, atque aliis etiam Criminalibus, poenam Sangvinis inferentibus, Knesii Delinquentes absque mora comprehendere et Capitaneo Supremo sui Districtus ad manus Profosii tradere teneantur. Interim autem Supremus Judex, cum suis Assessoribus, statim Causas cognoscat, ut idem Delinquentes, cum talis delicti et Criminis Rei Judicati fuerint, ad Regimen bellicum transmittantur, Ibiq̃ue, servato Juris ordine, non in peccunia vel bonis, sed solum in Corpore, vel opere publico, vel aliis Suppliciis puniantur.

Articulus Quartus

In lenioribus autem Knesii reos carceri includant, donec vel ab ipsis idonea caveatur, vel tempus Juris dicendi apropinquet, et tunc Judicio sistantur, ac contra eos servatis de Jure servandis procedatur.

Articulus Quintus.

Knesiorum muniis non solum illud incumbet, ut in suis districtibus cunctarum numerum Domorum, et familiarum, nec non omnium Capitem virilis sexus, decimum sextum aetatis Annum excedentium, exacte sciant, eumque utrumque nu-